



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pati est Hominis Inevitabile Fatum

Neissen, Johann Adolph

Coloniæ Agrippinæ, 1721

Proæmium Mundo Universo id est Cunctis Adami stirpe prognatis Posteris,
Calamitaatem ac Patientiam: illam auguror; hanc præstolor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49134](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49134)



Procœmium
MUNDO UNL-
VERSO

id est

Cunctis Adami stirpe prognatis
Posteris,
Calamitatem ac Patientiam:
illam auguror; hanc præstolor.

INsolens ausum, promiscuè omnes
Orbis terrarum incolas sollicitare ad
Cruces; ad miseras, in adversitatum
ærumnas, cogere ac condemnare.
Nonne hoc est audere capitalia? Mi-
chæas Dei legatus; inauspicata, uti
jussus erat, Vaticinatus Regi Achab,
in carcerem detruditur; ac pane dolo-
ris, & aquâ angustix, sustentari jube-
tur; sceleratè. Quid ego? nunquid in-
visum illud, planeque exosum Mundo
verbum, PATI, dum domesticum o-
mnibus, ac familiare singulis, induce-
re contendø, ad similem pœnam for-
turi videar: Non Sacræ Pontificum Tia-
ræ;




ra; non Cæsatum imperiali globo ;
non coronato Regum sceptro, aut Prin-
cipum Diademati parco ; unâ omnes
omnium hominum ordines, nullâ con-
ditionis exceptione, quemadmodum,
ut semel moriamur statutum novimus,
itâ, dum hic moramur inter vivos, si-
mul etiam patiamur, inevitabile futu-
rum assevero. Nec est, quod ad hoc
evincendum operosè connitar. Tu,
Lector mi benevole, si nondum hodiè,
cras forsan ; aut certè post non longos,
seu menses, seu annos, (quantum cun-
que tibi etiam nûm felix, extrâ omnem
teli jactum positus esse, blandiaris) id
ipsum experimento capto, satis superq;
compertum habebis. Sic equidem ego
auguror. Tu interim, ut ad cujusvis
fortunæ motum, consilia tua compo-
nere, necessitatem in rationem vertere
& ab elargiente divinâ manu, tuam
tibi dispertitam sortem, veneratione
Deo debitâ, id est, longè profundissimâ,
excipere studeas: tibi, Deum Patrem
humano generi jus dicentem, Deum
Filium ad crucis suæ consortium invi-
tantem, Deum Spiritum Sanctum,
illud



illud idem in Prophetis adspirantem ,
præviè producam : deinde jungam ,
hominum quamvis classem , summos ,
medios , imos , justos æquè ac peccato-
res , hac sorte complecti : denique tan-
gam argumenta , ratasque ciebo con-
clusiones , quibus erecti , ingruentia
continuò mala , toleranter subire dis-
camus. Quod modo adversa conver-
temus in prospera , qualia re ipsâ sunt ,
salutis nostra media : isthac enim Cru-
cis Regiâ , nec ullâ aliâ semitâ , pertin-
gitur ad æthera. Ubi dum indigena
modicum tribulationis hujatis , æter-
num gloriæ pondus operabitur in om-
nibus , tu quoque , mi lector , paradoxâ
illâ , quam tibi suprâ per calamitatem
& patientiam apprecari intenderam ,
felicitate perenni , gloriosè beaberis. Sic
voveo.

Monitum Authoris ad Lectorem.

Si quando in libri decursu , reperias
illud olim superstitiosum Ethnicis
verbum , *Ly Fatum* ; ne perperam of-
fendaris. Neque enim stoicum isthoc
Fatum , quod Gentiles impositam à
Diis



Diis immortalibus necessitatem nuncupabant inevitabilem, in hac nostra, Saniore lumine illustrata, sæcula, revocare intendo. Enim verò, illud ipsum abominor tecum. Fatum ego appello eum pluribus aliis, hujus ævi nostri probis probatissimisque scriptoribus, omnipotentis Dei, ab æterno cuncta, ordinantis, infallibilem Providentiam, ejusdemque Supremo jure, *sine provocatione*, Imperantis gubernantisque adorandam voluntatem. Quale Christianum, ab omni superstitione Ethnicâ expurgatum fatum, in divinorum arcanorum barathro, judiciorumque abyssu multâ, stabilitum, omni creatæ menti reverendum, Sanctissimè proponitur.

ELEN-

